

unam mulieris aciculam, hoc animo, & hac intentione, ut quamvis plura inveniret, non caperet: nullus sanæ mentis dicit illum peccasse mortaliter. Quia licet contra præceptum divinum fecerit, propter rei tamen imperfectionem & parvitatem, excusatur à rigorosa præcepti obligatione. Eodem modo in legibus humanis interpretandis agere oportet. Nam ob hanc causam, qui die dominico post dictum à sacerdote Missæ introitum, accedit ad Missam, & reliqua usque ad finem audit, præcepto Ecclesiæ satisfaciunt: quia modicum illud quod deest integritati Missæ, pro nihilo reputatur. Idem etiam dicendum est in sanguinis effusione, qui si tam modicus sit, ut merito sit pro nihilo reputandus, non violabit Ecclesiam. Si vero major sit effusio, quamvis sit modica, semper violasse dicitur. Et hoc est contra Abbatem in cap. Proposuit, de consecrat. Eccles. vel altar. ubi dicit, per modici sanguinis effusionem Ecclesiam minime violari, nec ulla egeret reconciliatione. Quia verbum effusionis (ut ille ait) denotat abundantiam. Et idem tenet glossa in cap. unico de consecrat. Eccles. vel altar. lib. 6. Sed hæc Abbatis sententia aperte convincitur esse falsa, ex his, quæ secundo documento supra tractata sunt. Nam in cap. Si Ecclesia, de consecrat. Eccles. vel altar. Gregorius Papa nonus docet, Ecclesiam pollutam esse per sanguinis humani effusionem, nec distinguit, an sanguis sit modicus, an copiosus. Et in cap. Ecclesiis, de consecrat. dist. 1. idem decernitur, absque ulla profusio modici aut multi sanguinis distinctione. At ubi lex non distinguit (ut jam sæpe diximus) nec nos distinguere debemus, etiam si sit ad benigniorem legis interpretationem faciendam. Sed Abbas ad suam sententiam probationem dicit, textus illos supracitados non generaliter loqui, sed distincte, de sola abundantia & copiosa sanguinis effusione, quia verbum effusionis (ut ille ait) denotat abundantiam. Pro qua sententia citat glossam, quam dicit esse notandam, in cap. Cum illorum, §. Quod si claustrales, de sententia excommunicationis. Si ad probationem veram & legitimam illius vocis significationem, citasset mihi Cicero, aut Quintilianum, aut Plinium, aut Titum Livium, aut quemlibet alium ex primoribus lingue Latine, facile crederem. Deinde, si pro ea re, quæ ad solam juris canonici peritiam spectaret, mihi glossam citaret, forte lubens succumberem, aut si me ratio aliqua cogeret, ut ab illa discederem, cum reverentia illam rejicerem. Sed cum confet glossatorem Decretalium, etiam in iure canonico doctissimus fuerit, barbarum & vix latine loquentem fuisse, quales sunt fere omnes juris canonici tractatores antiqui, non possum non ridere, cum ad probationem propriam vocis significationem illam mihi in testem adducat. Certe si viros in lingua Latina peritissimos consulere volumus, inveniemus non solum in abundantia, sed etiam in rerum parvitate, illos effusionis nomine esse usos. Fateor quidem hanc vocem, cum vitium liberalitatis oppositum designat, significare abundantiam & quandam rei consumptionem. Cicero in Philippicis. Cæsar patrimonium suum effudit, quamquam non sumus usi eo verbo, quod deest: non enim effudit, sed in salutem reipublicæ collocavit. Quibus verbis aperte docet, non omnem largitatem, aut omnem abundantiam rei consumptionem, dici recte effusionem, sed eam solam quæ vitiose fit. Non tamen in hac sola significatione est hujus vocis usus: quia aliquando sumitur effundere pro extendere, aliquando pro spargere, aut omnem abundantiam, aut ex juris regula non significare semper abundantiam, convincitur inde aperissime per omnem humani sanguinis

umquam, neque effunditur. Quo loco posuit effundere, pro extendere. Idem in oratione pro Lucio Flacco. Vox in coronam turbamque effunditur. Idem in lib. de Oratore posuit effundere pro emittit, aut producere, sic inquit. Seregete fecunda effundunt herbas inimicis frugibus. Et juxta hanc significationem capimus hoc verbum effundere, cum de sanguinis effusione loquimur. Sed tunc non magis abundantiam, aut largitatem significat, quam reliqua verba, pro quibus ponitur, aut quibus in significatione consentit. Hoc autem vel ex eo convincitur, quod aliquando viri eloquentissimi post verbum effusionis addunt nomen aliquod abundantiam designans, quod non fecissent, si solum verbum effusionis ipsam denotaret abundantiam. Eset enim inanis verborum repetitio, quæ pro vicio notari solet, & à Græcis vocatur *tandogia*. Cicero in oratione pro Cneio Plancio, prope finem ad ipsum Plancium verba referens, ait. Tameo, ne nihil tibi præter lacrymas queam reddere, quas tu in meis acerbitatibus plurimas effudisti. Quid, quæso, opus erat addere plurimas, si solum verbum effusionis ipsam & abundantiam significaret? Sed omisit prophanis scriptoribus, qui sæpe plura, quam oporteat, verba expendunt, à sacris literis testimonia petamus, in quibus nec ullum est verbum superflue positum. Deus ad Regem David loquens (2. Paral. 21.) ait: *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellaisti, non poteris edificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me.* Si verbum effusionis abundantiam ex se solo significaret, non fuisset opus dicere, multum sanguinem effudisti, sed satis fuisset dicere, sanguinem effudisti. Et Paulus ad Titum scribens cap. 3. ait: *Secundum suam misericordiam salvos nos facit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde.* Ecce vides post verbum effusionis additum esse adverbium denotans abundantiam, quod esset superflue additum, si ipsum verbum effusionis, ex sua propria significatione semper denotaret abundantiam. Sed quia verbum hoc, ut significat spargere, aut emittit, non solum abundantiam, sed etiam paucitatem designat, ideo post verbum effusionis additur sæpe nomen, aut adverbium abundantiam significans. Deinde, si ipsa verbi compositio recte inspicitur, aperte quod dico intelligitur. Effundo siquidem verbum compositum est, ex hoc verbo fundo, & præpositione ex, cuius ultima littera x, in compositione transit in f, ob quam causam hoc verbum effundo, scribitur per duplex f. Sicut igitur fundere non denotat semper abundantiam, ita nec effundere, quod ex illo componitur. Nam effundere idem est, quod extra fundere, aut ex aliquo loco fundere. Et certe si Petrus è naribus modicum sanguinem, utputa tres aut quatuor illius guttas demitteret in terram, nullus nisi lingue Latine ignarus, diceret male latine dici Petrum effudisse sanguinem. Nam sicut fudit, ita etiam effudit. Non enim differt unum ab altero propter paucitatem aut abundantiam: & ideo sæpe unum pro altero ponitur. Pro qua re apertum est testimonium id, quod in Genesi cap. 7. Deus ait: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Quibus verbis (ut constat) legem talionis Deus statuens, pro sanguine effuso jubet alterius sanguinem fundi. At si magis esset effundere, quam fundere, non integre retaliaret. Quia pro majori damno minor daretur compensatio. Cum igitur ex his omnibus aperissime constet, verbum effusionis ex sua propria & legitima significatione, aut ex juris regula non significare semper abundantiam, convincitur inde aperissime per omnem humani sanguinis

nis injuriosam, aut irreverentem effusionem in Ecclesia factam, Ecclesiam esse pollutam, & egeret reconciliatione, quamvis sanguis effusus sit modicus, nisi (ut dixi) tam modicus esset, ut merito esset pro nullo censendus. Quia cap. illud, Si Ecclesia, & cap. Ecclesiis, de omni sanguinis effusione loquuntur, nec distinguunt, an sanguis effusus sit modicus, aut multus. Ex quo etiam infero contra glossam in cap. Cum illorum, §. Quod si claustrales, extra de sentent. excommunicat. quod si monachus aliquis alium ejusdem claustrum monachum percussit usque ad sanguinis effusionem, non poterit ex juris canonici ordinatione per suum Prælatum absolvi, sed requirenda erit necessario sedes Apostolica, quamvis sanguis effusus sit modicus, nisi forte tam modicus sit, ut merito sit pro nullo æstimandus: quoniam tunc propter imperfectionem materię (ut supra de violatione Ecclesiæ diximus) à legis obligatione excluditur. Nam illud prædictum capitulum, in quo absolutio à sanguinis effusione reservatur sedi Apostolicæ, generaliter loquitur, nullam profusum inter modicum aut multum sanguinem distinctionem faciens. Ubi autem lex non distinguit (ut jam sæpe dictum est) nec nos distinguere debemus, quamvis sit pro benigniore legis interpretatione faciendâ. Et certe si juxta opinionem Abbatis & glossæ textus, illi essent interpretandi, sæpe illorum canonum sententia esset incerta: quia non ex solo jure penderet, sed necessarium esset Judicis sententiam expectare. Nam cum non sit lege definitum, quantus sanguis sit censendus modicus, & quantus sit dicendus multus, in multis casibus oporteret expectare sententiam Judicis, ut decerneret an sanguis effusus sit modicus aut multus. Et quia Judicio æstimatur modicus, ab illo judicetur esse multus: & inde necessario evenit, ut propter eandem sanguinis mensuram effusam in diversis Ecclesiis, una sit violata, & alia non: quia unus Judex in una Civitate judicabit sanguinem effusum esse modicum, & ejusdem quantitatis sanguinem judicabit esse multum Judex alterius Civitatis. Ne igitur in his perplexas absurditates incidamus, necessarium est, ut quæ generaliter dicta sunt, generaliter interpretentur. Sed glossa in illo cap. Cum illorum, volens probare verbum effusionis significare semper abundantiam, citat capitulum Revertimini, quod ponitur 16. q. 1. Nam illic Hieronymus, cuius est textus ille, hæc ait: „ Verbum effusionis nomen largitatis ostendit. Hæc ille. Sed revera dictum illud Hieronymi, si recte illius verba circumspectantur, aperte favet meæ sententiæ, tantum abest, ut mihi ullo pacto contradicat. Nam illa verba dicit Hieronymus in commentariis super Malachiam Prophetam, interpretans illud ejusdem Prophetæ cap. 8. *Probat me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis catinas cæli, & effundero vobis benedictionem usque ad abundantiam.* Et hæc verba exponens, dicit: verbum effusionis nomen largitatis ostendere. Fateor quidem in illo Malachie loco, quem Hieronymus interpretatur, verbum effusionis significare, aut ostendere largitatem; hoc tamen non facit ex se solo, & ex sua propria & primæ significatione, sed ratione nominis illi postea additi quod significat abundantiam. Nam alias, si ex solo verbo effusionis talis oniretur significatio, non opus erat post verbum effusionis addere usque ad abundantiam: sed satis erat dicere, & effundero vobis benedictionem. Hieronymus igitur non generaliter loquitur, quod verbum effusionis ostendat largitatem, sed solum in illo Prophetæ loco, quem interpretabatur, ubi post verbum effusionis additur nomen

abundantiæ, ad denotandam Dei largitatem. Sed inde nullo pacto licet inferre, ut verbum effusionis ubicunque absolute ponatur sine nomine denotante abundantiam, significet copiam & largitatem. Tertium documentum est. Lex penalis nunquam extendenda est ultra crimen aut personam, aut denique ultra casum in lege expressum: quamvis in aliis criminibus, aut in aliis casibus eadem ratio inveniatur, quæ invenitur in casu per legem expresso. Et hinc est, quod in legis pœnalis interpretatione non licet arguere per argumentum à simili, quod alias non parvam vim apud Jurisperitos habere solet. Hoc documentum de lege pœnali intelligendum esse volo, & illi soli esse peculiare: in aliis autem legibus aliquando contrarium agere licet. Nam glossa in leg. Si constante, ff. soluto matrimonio, dicit, legem extendi posse ultra casum in lege prolatum, si in alio casu eadem inveniatur ratio, quæ invenitur in casu per legem expresso. Dinus in regula, in argumentum de regulis juris, libro 6. consentit prædictæ glossæ, dicens eam veram esse, quando lex absolute loquitur, & non cum dictione exclusiva, quæ reliquos omnes casus excluderet. Alioqui, si lex cum restrictione aliqua aut exclusionis loqueretur, injustum esse dicit, ut ad casum per legem non expressum extendatur. Bartholus in prædicta leg. si constante, quaestione nona, Dini sententiam rejicit, & utrumque illius dictum impugnat. Abbas in cap. Translato, de constitutionibus, dicit, legem posse extendi ad alium casum similem in lege non expressum, propter similitudinem rationis, nisi casus ille similis habeat aliam specialem legem contrariam. Quia extensio legis (ut ille ait) nunquam debet fieri ad legis correctionem. De hac re ego nihil differere volo, propterea quod longè est ab instituto meo, quod de sola lege pœnali dicere statui. De hac igitur sola ego differens, dico, illam non esse extendendam ultra casum in lege expressum, etiam si in alio casu eadem inveniatur ratio, quæ invenitur in casu per legem definito. Pro hujus documentum probatione est cap. Pœnæ, de poenitent. dist. 1. cuius hæc sunt verba: Pœnæ legum interpretatione molliendæ sunt, potius quam nimis exasperandæ, atque ideo proprium casum non excedunt. Hæc ibi. Ex hoc dicto infero glossa in cap. In pœnis, de regulis juris, libro sexto, argumentum à simili non valere in pœnis. Causam autem quare argumentum à simili aut ab identitate rationis, non valet in lege pœnali, cum tamen in aliis legibus valeat, glossa illa non exprimit; ego tamen apertam & efficacem reddam, quæ est hæc proxime sequens. Aliæ leges adeo pendent ex ratione, ut ratio legis dicatur esse mens illius: Nam Panormitanus in cap. finali de rescriptis, dicit, legem non esse aliud quam rationem ejus. Et idem docet Baldus in leg. Non dubium, C. de legibus. Et hinc evenit necesse est, ut ubicunque illa eadem inveniatur ratio, ibi etiam eadem habeatur lex: quia nisi ita fieret, necessario consequens esset, ut aliud esset lex, quam ratio ejus. Lex autem pœnalis non omnino pendet ex ratione, sed etiam pendet ex sola legislatoris voluntate, quatenus certam aliquam pœnam decernit. Nam licet ex recta & cogente ratione procedat, quod crimina puniantur, nulla tamen recta ratio cogit, ut tale aut tale crimen, hac aut illa pœna puniantur, sed hoc ex sola legislatoris voluntate pendet, quæ etsi aliquam habuerit congruentem rationem, non tamen necessario cogentem, ut talis pœna potius quam alia statuatur. Et hæc meo iudicio sunt, in quibus legislator recte dicere potest: Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Quia in his non est ab illo exigenda ratio, cur potius

hanc quam illam poenam elegerit, sed illius voluntas pro ratione sufficit. Et idem dicendum est de Iudice in illis poenis, quas lex illius arbitrio committit: in quibus non est iustum exigere ab eo rationem, quare magis unam, quam alteram elegerit poenam: sed satis erit pro ratione voluntas. In aliis vero, quae omnino a ratione pendunt, ut sunt ea, quae ad mores spectant, non sufficit pro ratione legis iusta sola legislatoris voluntas. Et quia saepe poena ex arbitrio potius, quam ex ratione pendet, evenit, ut idem crimen in diversis orbis Christiani Provinciae diversa poena puniatur. Quia licet ratio naturalis, quae eadem est apud omnes, ostendat crimina esse punienda, quae tamen poena punienda sint, non perinde declarat ratio naturalis, & ideo voluntatis arbitrium accedere oportet, quo una potius, quam altera poena eligatur. Et hinc evenire necesse est, ut quia humanum arbitrium non est idem apud omnes, poena etiam per legem decreta non sit eadem apud omnes. Et inde ulterius sequitur, ut argumentum a similibus, aut ab identitate rationis, sit in lege poenali prorsus invalidum. Quia lex poenalis (ut dixi) non pendet tota a ratione, ut aliae leges: sed etiam pendet ex arbitrio voluntatis. Non enim est necessario consequens, ut furta omnia poena quadrupli puniantur, propterea quod furtum aliquod poena quadrupli lex punire iubet. Potest enim esse, ut legislator voluerit furtum aliquod punire poena quadrupli, non autem reliqua, sed majori aut minori poena. De qua re apertum potest proferri testimonium, ex lege a Deo per Moysen data, in qua qui furatus fuisset bovem, iubebatur quinque pro uno restituere. Ex qua lege minime inferre licet, ut pro quocumque alio furto oporteat iuxta legem Moysaeam quinque pro uno reddere. Nam eadem lex Moysaica iubebat, ut pro una ove furto sublata quatuor tantum oves reddere, & pro auro, aut argento, aut vestimentis furto sublatis, duplum solummodo restitueretur. Quae poenarum diversitas, etsi ex aliqua congruenti ratione processerit (ut Lyra leges illas interpretans ostendit) non tamen ex ratione naturali & necessaria orta fuit. Nam alias non fuisset unquam mutata, sed permansisset usque hodie lex illa: quoniam lex naturalis perpetuo constat, & numquam variatur. Ad primam igitur huius documenti intentionem revertens, dico, legem poenalem numquam esse extendendam ultra casum per legem expressum, etiam si sit per argumentum a simili aut a contrario sensu, nisi forte talis extensio possit per alias juris regulas aperte & evidenter probari. Abbas tamen in cap. Translato, de constitutionibus, gratis & absque ulla ratione dicit, legem poenalem posse extendi ad similem casum propter similitudinem rationis, & connexitatem negotii. Sed haec illius opinio, ex his quae diximus, aperte constat esse falsa, cum illius contrarium apertissime doceatur in illo cap. Poena, de poenitent. dist. 1.

Ex ratione huius tertii documenti infero doctor subtilis Scotus, falsam esse quorundam Canonistarum opinionem, qui docent, per reiterationem sacramenti Confirmationis committi irregularitatem, sicut per reiterationem baptismi. Hanc opinionem tenet Archidiaconus in cap. 1. dist. 68. Et hanc Canonistarum opinionem tenet Richardus de media villa in 4. sentent. dist. 7. quae penultima. Sed hanc opinionem falsam esse, aperte convincit Scotus, per hoc quod universaliter (ut ille ait) nulla poena canonica, quae non est inflicta a Papa condente jus, incurritur ipso iure. Nec propter argumenta exponentium canones, sive a simili, sive a contrario sensu, est aliquis

tali poena adstrictus: quia possunt exponere jus conditum, non autem condere novum per suas expositiones. Cum ergo numquam inveniatur in iure Canonico poena irregularitatis expressè inflicta pro iteratione confirmationis sicut pro iteratione baptismi, inde evidenter colligitur, nullam talem poenam incurri per confirmationis iterationem: quia poenales leges potius sunt restringendae quam ampliandae. Et certe si legislatoris voluntas fuisset irregularitatis poenam infligere pro reiteratione confirmationis, sicut pro reiteratione baptismi, expressisset in uno perinde ac in altero. Hi tamen, qui Richardi & Archidiaconi opinionem tuentur, afferunt pro se cap. Dictum, de consecrat. dist. 5. Sed si bene illius capituli verba circumspectantur, plus illis refragantur, quam suffragantur. Nam in illo capitulo nulla prorsus poena infligitur aut ministeri confirmanti, aut ipsi confirmationem suscipienti, sed solum dicitur decretum esse, ut qui bis, aut ter, aut eo amplius confirmatus fuerit, non saeculo, sed soli Deo, sub habitu regulari vel clericali religiosissime famuletur. In his autem verbis (ut constat) praecipitur clericali officii exercitium, tantum abest, ut poena irregularitatis infligatur. Nam optimus & perfectissimus famuletur, qui in habitu regulari vel clericali Deo exhiberi potest, est in ministerio altaris, ut puta in consecratione Eucharistiae, aut in alio quovis ordinis sacri exercitio ad Eucharistiae consecrationem tendente. Haec autem ministeria (ut omnibus apertum est) nullus, qui irregularis est, recte exhibere potest. Forte aliquis causam quaeret, cur potius pro iteratione baptismi, quam pro iteratione confirmationis, aut pro iteratione ordinis, sit poena irregularitatis inflicta, cum haec duo ultima sacramenta iterari non possint, sicut nec baptismus. Huic quaestioni licet per ea, quae proxime diximus, faciliter responderi possit, dicendo satis esse pro causa & ratione solum legislatoris voluntatem: nihilominus aliam reddo congruentissimam rationem, quae talis est: Poena (ut supra capitulo tertio dixi) non solum sunt ad punitionem, sed frequenter imponuntur ad medicinam; & ob hanc causam saepe minoribus peccatis graviores infliguntur poenae, propter maiorem hominum pronitatem ad illa: maioribus autem peccatis aut leves, aut nullae infliguntur a iure poenae, quia experientia docente, cognitum est, homines non esse ad illa peccata proclives. Certum est autem, fuisse olim pessimas quorundam hominum haereses, qui homines semel baptizatos ob diversas causas rebaptizare docebant. Et hoc nostro miserabili saeculo, Anabaptistarum haeresis, duce quodam Balthasare, suscitata est, atque in diversis huius orbis partibus divulgata, quae docet, homines pro libito, quoties voluerint, rebaptizari posse. At de confirmationis aut ordinis sacramento iterando, nulla unquam talis haeresis in publicum prodit. Et haec est ratio potissima, propter quam ad reprimeendam rebaptizatorum aut rebaptizantium auidaciam, poena irregularitatis est a iure inflicta, & non contra eos, qui bis confirmati aut ordinati fuissent: quia non erat opus ibi apponere medicinam, ubi nullus unquam pauperat morbus.

Ex hoc tertio documento infero etiam falsam esse opinionem Summæ Anglicæ, quae in titulo Incestus, §. ult. dicit, omnem incestuosum, sive ille cum consanguinea, sive cum consanguinea uxoris suae incestum commiserit, privatum esse potestate exigendi debitum ab uxore, & peccare mortaliter, si contra juris prohibitionem petierit. Quod enim haec opinio falsa sit, inde apertissime convincitur, quod omnia iura quae prohibent incestuosum posse

debitum ab uxore exigere, de solo illo incestuoso loquuntur, qui uxoris suae consanguineam cognovit, & non de illo, qui cognovit consanguineam suam; ut aperte constare poterit cuique legenti, & bene consideranti omnia capitula illius tituli, qui inscribitur, De eo qui cognovit consanguineam uxoris suae. Cum igitur lex quae conjugem incestuosum privat iure exigendi debitum, poenalis sit, oportet, ut (iuxta ea quae diximus) non extendatur ad eos casus, qui non sunt per legem expressi. Sed Summa Angelica aperte cognoscens, nullum capitulum illius tituli posse illo modo suae opinioni favere, alios ex decreto citat textus, qui nec tantillum illi patrocinantur. Primo quidem citat cap. Si quis viduam, quod habetur 32. q. 7. in quo, enumeratis casibus in quibus vir & mulier incestuose commiserunt, quorum aliqui committuntur cum consanguinea uxoris, aliqui cum consanguinea propria ipsius viri, tandem de omnibus illis dicitur eos distingui, & ulterius numquam in conjugio copulari praecipimus. Sed revera illa verba nullo pacto nostrae sententiae contradicunt, quia per illa verba, quatenus de incestuosis qui suas consanguineas polluerunt, loquuntur, solum prohibetur, ne huiusmodi matrimonium contrahere possint: & hoc ipsum ego libentissime fateor, quamquam verba illius capituli non de omni conjugio loqui videntur, sed de solo conjugio inter ipsos consanguineos, qui se invicem polluerunt, quod taliter dirimendum esse dicit, ita ut numquam amplius ad talem cotum fornicarium redeant. Ceterum, si illorum aliquis cum quavis alia persona legitimum contraxerit matrimonium, verba illa non prohibent, ut debitum ab uxore exigere possit. Si autem Concilium Maguntense, cuius illa sunt verba, voluisset huiusmodi incestuosos prohibere, non debitum ab uxoris petendum, sicut prohibuit contractum matrimonii, aperte illud expressisset, sicut aperte expressit Celestinus Papa, huius nominis tertius, in cap. Transmissa, de eo qui cognovit consanguineam uxoris suae, ubi decernit, illum qui privignam suam polluerat, non posse debitum ab uxore petere, & post illam defunctam non posse aliam in matrimonium ducere. Si quis forte contendat per verba illius cap. Si quis viduam, non solum prohiberi conjugium inter ipsos consanguineos temerarie attentatum, sed etiam prohiberi omne aliud matrimonium, ita ut nullus eorum possit cum quacumque alia persona matrimonium contrahere, nec post matrimonium contractum ab uxore debitum exigere: sequitur inde, ut per verba illius capituli etiam sit illi interdictioni uxori petenti debitum reddere: quod est nimis absurdum, & nullus unquam concepsit. Quia non est iustum, ut propter delictum alterius conjugis innocens suo iure privetur. Quod autem hoc inde necessario sequatur, evidenter probatur per ipsa verba, quibus generaliter & absolute praecipitur, ut numquam conjugio copulentur, nec ullam facit distinctionem; per hoc quod est reddere, aut exigere, sed generaliter & indistincte praecipitur, ut numquam conjugio copulentur. Si per illa verba prohiberetur non solum contractus matrimonii, & copula carnalis inter ipsos consanguineos, qui se invicem polluerunt, sed etiam omnis alius matrimonii contractus, & copula inde sequens etiam interderetur illis, evidentissime inde sequeretur, ut per illa verba etiam prohiberetur debiti redditio sicut exactio. Ne igitur tantam absurditatem & injustitiam illi textui tribuamus, necessarium est dicere, per illa verba non prohiberi nisi solum matrimonii contractum, & non copulam, quae post legitimum matrimonium succedere solet. Et eodem modo respondeo ad capitulum

de incestis, & ad cap. Nec eam 31. q. 2. & 3. & ad cap. Si duo viri 33. q. 6. Nam in omnibus illis capitulis (ut facile constare poterit illa omnia legenti, & bene circumspectanti) solum prohibetur incestuosus contractus matrimonii: non autem ut post matrimonium verum contractum a se invicem debitum exigere possint. Illis autem incestuosus qui suarum uxorum consanguineas cognoverunt, utrumque iure prohibetur, ut patet in illo iam citato cap. Transmissa, & in cap. Si quis, eodem tit. Si quis autem quaeratur, quare potius privatur in iure exigendi debitum ab uxore, is qui cognovit consanguineam uxoris suae, quam is qui cognovit consanguineam propriam, huic quaestioni facile quisque (ut supra diximus) responderi poterit, dicens, satis esse pro ratione legislatoris voluntatem. Verumne, ubi urgentissima adest, & rationem prorsus deservit inuam, eam nunc reddere volo. Qui cognovit consanguineam uxoris suae per talem, quamvis illicitum & nefarium cotum, acquiri affinitatem, quam ante non habebat, cum propria uxore: ut aperte innuitur in cap. Discretionem, & in cap. Tuæ, de eo qui cognoscit consanguineam uxoris suae: & probatur apertius per Apostolum dicentem (1. Cor. 6.) Qui adhæret meretrici, unicum corpus efficitur cum meretrice. Iustum igitur fuit & æquum, ut ab uxore sua, quam incestuosus suo peccato fecit sibi affinem, debitum exigere non possit, ne cum affine sua se misceat propria voluntate, nisi solum quando fuerit ab uxore sua exactus. Qui vero suam tantum cognovit consanguineam, nullam per hoc acquiri cum uxore affinitatem, quam ante non habuisset; ac proinde non est illa affinitatis ratio, quae urgeat prohibere illum, ne ab uxore sua debitum exigat, sed satis est, ut si liber ab uxore fuerit, privatus sit potestate recte in posterum contrahendi. Tertio, ex eodem tertio documento infero, falsum esse quod Antonius de Butrio asserit, videlicet omnem illum peccare mortaliter, qui audit Missam a quovis sacerdote existente in quocumque crimine notorio. Quia licet in cap. Vestra, de cohabit. clericor. & mulierum, & in cap. Nullus 32. dist. praecipitur, ut nullus audiat Missam Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere: de aliis tamen Presbyteris, qui aliis criminibus, quamlibet notoriis, sunt maculati, nihil tale praecipitur: & inde sequitur, ut qui ab aliis Missas audiunt, non peccent. Quia ex hoc quod unum praecipitur, non licet inferre aliud etiam esse praecipitum, quantacumque sit inter illa duo similitudo. Nam praecipitum illud, ut ad sacerdotem fornicarium comparatur, poenale est, quia in poenam sui criminis praecipitur aliis, ut Missam ab illo non audiant. Et propter hanc causam non est extendendum ultra casum in lege expressum. Nec favet opinioni Antonii, cap. fin. de temp. ordin. quod ille pro se citat: quia textus ille loquitur de ipsis Presbyteris criminosis, & non de his qui Missas ab illis audiunt. Alia multa possem ex hoc tertio documento inferre corollaria, sed prolixitatem vitare cupiens prudenti lectori committo, satis me fecisse putans quod viam qua recte incedere possit, illi indicaverim.

Adenus de lege poenali, quae sit, & qualiter statuenda, qualiter etiam interpretanda, per aliquot

capitula differimus: nunc jam opus est, ut ad nostri operis scopum proprius accedamus, & de potestate ipsius legis pœnalis tractare incipiamus. Hæc autem potestas, quoniam ad duo potissimum (ut supra me dixisse meminimus) deferri potest, videlicet ad culpam & ad pœnam, ideo de potestate quam circa unumquodque horum habet, hoc ordine dicere statui, ut primo de potestate in ordine ad culpam, deinde de potestate circa pœnam differam. Et circa potestatem quam lex pœnalis in ordine ad culpam habet, scio à tam multis erratum esse, ut jam pro verbi loco illorum error sub hoc verborum tenore à multis celebretur. Nulla lex pœnalis obligat illius transgressorem ad culpam aliquam; quia satis est (ut sic sentientes dicunt) quod transgrediens legem exponat se periculo pœnæ, per legem impostæ. Qui error cum multorum animas læserit, illis (ut certa experientia didici) ad diversa peccata committenda, audaciam tribuens, coacturum talem errorem apertissimis rationibus convincere, ut illius falsitatem manifeste demonstrata, quotquot illi ante favebant, statim ab illo deficiant, & sic à peccatis quæ illo occasionem præbent commiserant, libenter abstinuant. Ut autem hoc facilius & apertius efficere valeam, fortissimum & firmissimum quoddam fundamentum primo jacere statui, cui nostra disputationis structura innitens, nequaquam corrui poterit. Fundamentum hoc humilissimi verbi describitur.

Potestas humana sive Ecclesiastica sit, sive laica, potest statuere legem obligantem illius transgressorem ad culpam etiam mortalem, quamvis lex pœnam contra transgressorem statuat, & ille se periculo pœnæ exponat. Hoc fundamentum probatur duplici ratione, quarum prima sit hæc. Humana potestas, sive Ecclesiastica sit, sive laica, potest statuere legem obligantem ad culpam etiam mortalem, sine impositione pœnæ: ergo potest etiam obligare ad eandem culpam, cum impositione pœnæ. Assumptum est manifestum ex his quæ supra capite quarto diximus, ubi multis, evidentissimisque rationibus probavimus, legem humanam posse obligare illius transgressores ad culpam mortalem. Consequentia vero probatur, quia impositio pœnæ non tollit ex se, & ex sua natura obligationem ad culpam: quod facile probatur per hoc quod culpa & pœna non sunt sic invicem contraria, ut positio unius inferat remotionem alterius. Alioquin fieri non posset, ut quis simul esset in culpa, & in pœna quæ pro culpa infligitur. Hoc autem vel ex eo convincitur esse falsum, quod damnatis in inferno evenit, qui perpetuo sunt in culpa & pœna, pro culpa perpetuo patiuntur. Neque hoc solis perpetuo damnatis, sed multis etiam in hac vita existentibus contingit, qui cum pro peccatis suis in hac vita ad tempus à Deo puniantur, nihilominus obstinati in suo peccato perseverant, quales fuerunt olim Pharaon, & Antiochus, & Herodes, & unquam, hodie multi tales non essent. Ex quibus aperte constat pœnam non sic esse culpæ contrariam, ut non possit simul cum pœna in aliquo esse. Et inde ulterius sequitur posse aliquem simul obligari ad culpam & ad pœnam. Et confirmatur eadem ratio, quia lex humana potest obligare ad culpam solam, & potest obligare ad pœnam solam: ergo etiam poterit obligare ad utrumque simul. Assumptum pro utraque sui parte ex his quæ supra diximus est manifestum. Consequentia autem vel ex eo est manifesta, quod pœna & culpa non pugnant inter se, nec sibi invicem contrariantur, ex quo necessario sequitur, ut qui ad utrumque illorum potest aliquem obligare, possit etiam obligare ad utrumque simul.

Præterea humana potestas potest hominem sibi subditum ad duas & tres prorsus diversas, & omnino disparatas pœnas obligare: ergo poterit etiam obligare ad culpam & ad pœnam simul. Assumptum patet manifeste in heretico, quem jura obligant ad pœnas valde diversas, ut puta ad amissionem omnium bonorum, & infamiam, & mortem si respicere nolit: & idem contingit in criminibus contra legem majestatis commissis, quæ multis & valde diversis pœnis ad jure puniuntur, prout habetur in capitulo, Si quis cum militibus sexto, quæstione prima. Consequentia probatur, quia obligatio ad pœnam sequitur ex culpa, & respondet illi: obligatio autem ad unam pœnam non sequitur ex alia pœna prorsus disparata: nec respondet illi: & inde sequitur, ut major sit inter pœnam & pœnam diversitas, quam inter culpam & pœnam: & inde ulterius sequitur, ut sicut legislator potest obligare ad diversas pœnas, ita etiam ad culpam & pœnam simul.

Secundo, principaliter arguo, & (ut mihi videtur) tam efficaciter, ut rem ipsam evidenter demonstrare credam. Si legislator humanus non potest condere lege obligantem simul ad culpam & ad pœnam, aut hoc esset virtute alicujus legis humanæ, hoc generaliter statuens, ut nulla lex pœnalis obliget ad culpam, aut propter legem divinam positivam hoc prohibentem, aut quia legi divinæ & naturali contrariatur talem legem statuere: nec est aliqua alia ratio propter quam humana potestas non possit talem legem statuere. Cum igitur probavero neutram hanc rationem subsistere, evidenter probatum erit, potestatem humanam posse talem legem statuere. Primo quidem nulla est lex canonica, aut civilis generaliter, & aperte statuens nullam legem pœnalem obligare ad culpam propter transgressionem illius, quod lex ante impositionem pœnæ statuit. Et si quis contenderit aliquam legem talem esse quæ hoc aperte & expresse, & sine ulla dubitatione decernat, proferat illam, & statim libentissime absque ulla contradictione cedam. Scio tamen in toto jure, sive civili, sive canonico nullam talem reperiri, quoniam multos viros in utroque jure doctissimos de hac re consului, qui omnes aperte mihi confessi sunt, nullam talem legem in toto jure haberi. Si quis forte in contrarium mihi objecerit aliquem, aut aliquos doctores asserentes nullam legem pœnalem obligare ad culpam, ego illos quamvis aliqui in jure, aut Theologia doctissimos, in hac tamen parte non recipiam. Bene tamen se res habet, quod nullum hæcenus legi Theologum, aut Jurisperitum qui hanc sententiam tueretur, sed solum per multorum ora illam volare video. Scio quidem multos Jurisperitos, & Theologos scripsisse legem pœnalem non obligare ad culpam, propter omissionem pœnæ à lege statuatæ: de qua sententia nunc non disputamus, quoniam de illa, libro secundo hujus operis, disputabimus. Sed omnes illi qui negant obligationem ad culpam propter omissionem pœnæ, statent obligationem ad culpam, propter transgressionem illius, propter quod lex ipsam pœnam statuit. Sed vulgus indoctum nesciens discernere inter id quod primo & potissimum à lege statuitur, & pœnam quam pro meliore illius observatione lex statuit, putavit idem esse de utroque dicendum. Videns igitur Doctores dicentes, legem pœnalem non obligare in conscientia ad pœnam, inde deceptus est, ut putaret legem illam minime etiam obligare in conscientia ad aliud propter quod pœnam statuit. Nec solum indoctum vulgus video esse hoc errore deceptum, sed multos alios qui se pro doctis haberi volunt, audio esse in hunc errorem lapsos, ut putent nullam legem pœnalem obliga-

re

re in conscientia, ad id pro cuius meliori observatione lex ipsa pœnam adiecit: quasi lex ipsa per additionem pœnæ, tollat obligationem ad culpam, quod quisquis fateri non erubescit, protinus se à ratione alienum ostendit. Est ergo certum nullam esse legem quæ admoveat legem pœnalem nunquam obligare ad culpam. Hoc autem de solis legibus universalibus, & quæ omnes obligant, quales sunt quæ in jure canonico, aut civili continentur, dictum esse volo. Nam scio in aliquibus religionibus, & in aliquibus collegiis similes leges haberi quæ ad culpam non obligant, propterea quod ipsemet ipsarum aperte declaravit, se nolle per tales leges subditos suos obligare ad culpam, sed solum ad pœnam. Inter Statuta enim Fratrum Minorum, hoc primo loco in illorum prologo collocatur. Nolumus per hæc quæcumque nostra statuta fratres ad peccati vinculum adstringere, nisi alias per jus divinum, vel humanum, fuerint adstricti. Hæc ibi. Simile etiam statum legi in statutis Fratrum Prædicatorum, quod sequentibus verbis ab illis expressum est. Ut unitati & paci totius ordinis provideamus, volumus & declaramus, ut constitutiones nostræ non obligent nos ad culpam, sed ad pœnam, nisi propter præceptum, vel contemptum. Hæc ibi. Et in aliquibus Collegiis quæ in diversis Hispaniæ Universitatibus, in favorem pauperum studium condita sunt, inter varias constitutiones quæ pro illorum bono regimine auctoritate Apostolica sunt conditæ, hæc primo loco constituitur, quæ declarat nullam illarum constitutionum obligare ad culpam eos qui in talibus Collegiis videntur, nisi illi aliunde fuerint ad culpam obligati. Eugenius quartus in quadam Bulla quæ incipit: Ordinis tui, declarat, nihil eorum quæ in prima regula Sanctæ Claræ continentur obligare ad culpam, præterquam quinque illius regule vota, quæ sunt de obedientia, paupertate, & castitate, & clausura, & Abbatissæ electionem, aut depositionem. Et idem protinus declaravit sentiendum esse de secunda regula per Urbanum sextum eisdem sororibus Sanctæ Claræ data. Ex qua declaratione aperte sequitur sororem Sanctæ Claræ non peccare mortaliter, quamvis Divinum Officium dietim dicere omittat, si id non ex contemptu, sed ex negligentia dicere omisit. Quia cum ex regula sua ad id dicendum non obligetur sub pœna peccati mortalis, nullo alio jure ad peccatum mortale illas obligante illud dicere tenentur. Aliter tamen de fratribus Minoribus dicere oportet, quia hi quamvis non sint ad sacros Ordines promoti, ex particulari, & speciali ipsorum regule præcepto, tenentur dicere Divinum Officium, juxta ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: Fratres autem Prædicatorum nullum tale habent suæ regule præceptum, sed solo Ordinis statu illud dicunt, quod ad peccatum non obligat, quia specialiter eorum statuto (ut diximus) cavetur nullum suorum statutorum obligare ad peccatum. Si tamen illi de elemosynis, aut de decimis illis à Pontifice Summo concessis aluntur, tenebuntur sub obligatione peccati mortalis dicere Officium Divinum integrum quemadmodum Clerici sæculares, qui beneficia possident. Ita enim declarat hoc Vincentius Bandellus, in expositione suarum constitutionum, cap. 1. Sed istæ leges, quæ obligationem ad culpam ab illis similibus legibus tollunt, non de sola lege pœnali, sed de omni lege loquuntur, aperte declarantes nullam talem obligare ad culpam. Deinde, & si aliqua esset lex in jure canonico, aut civili, decernens nullam legem pœnalem obligare ad culpam, hæc non ligaret posteros legislatores qui in eadem potestate succedunt,

Tom. II

ut non possent statuere legem pœnalem obligantem ad culpam. Quia par in parem non habet imperium, ut dicitur in cap. Exiit qui seminat, §. Cæterum sanctæ Romanæ, de Verbi signifi. lib. 6. Cum igitur nulla lege humana prohibitorum sit condere legem pœnalem obligantem ad culpam, opus est ut de lege divina positiva inquiramus, an illa prohibeat statuere legem pœnalem obligantem ad culpam. Et de hac ego constanter dicere audeo nullam talem posse reperiri. Quoniam omnis divina lex in sacris litteris continetur, in quibus nulla (ut certo scio) similis lex inveniri poterit. Si quis autem contendat aliquam talem divinam legem positivam esse, proferat illam ex sacris litteris, & gratias illi pro hoc tanto beneficio reddam immensas, tantum abest ut illi succedere, aut contradicere velim. Constanter tamen (ut iterum dicam) assero nullam talem in sacris libris haberi. Sed quidam mecum de hac re contendere optant, respondit mihi, talem legem, etsi verbis expressis non habeatur, deduci tamen ex aliis in sacra scriptura contentis. Citabat enim ad suam sententiæ probationem id, quod Deus per Nahum Prophetam, cap. 1. prædixit: *Non confurget duplex tribulatio*. Ex quibus verbis se colligere putabat, non posse legem aliquam simul obligare ad culpam & ad pœnam; quia si hoc esset, duplex jam, contra legem divinam (ut illi videbatur) confurgeret tribulatio, altera culpæ, & altera pœnæ. O subtilem sacre scripturæ interpretem! Non possum certe non admirari, vel ut verius dicam, non ingemiscere, considerans istius & quorundam aliorum temerariam audaciam, qui se absolutos Theologos reputare non verentur, cum tamen vix locum unum difficilem sacre scripturæ intelligant. Satis sibi esse putant, si Aristotelis mentem perceperint: & ad hunc scopum omnes suas disputationes potissimum dirigunt, ut aliquid Aristotelis sententiæ proximum tractent. Et ob hanc causam Aristotelem, tamquam si divinus ille esset, fere semper cum de Theologia differunt, versant in ore. Ego quidem Aristoteli tantum tribuo, quantum nulli alteri homini fidei lumine destituto; non tamen adeo illum æstimo, ut putem res Theologicas quas ille prorsus ignoravit, per solas illius regulas esse dirigendas, prout multi Theologi de similibus rebus differentes hæcenus fecerunt. Ob quam causam à multis prudentibus viris desideratur, ut Theologia purior, & sincerior traderetur, quæ plus divinarum scripturarum, quam Aristotelicæ doctrinæ contineret. Pro qua re video nunc egregie laborare Ludovicum Carvajallum, qui mecum sub Divi Francisci Instituto per multos annos ad hunc usque diem militat, & in eodem Salmantino Monasterio quo ego, Franciscani instituti Habitum induit. Is enim res theologicas pure & christianæ tractare aggrediens, optimas jam operis primicias dedit, & quæ restant speramus illum multo meliora daturum, & sic meliores, quam hic Theologos produiturus. Hic enim theologaster (ut ex illius argumentatione constare potuit) non intellegebat quid nomine tribulationis in illo Prophete loco significetur, ac proinde ignorabat, quid esset duplicem tribulationem confurgere. Tribulationis nomine hoc loco significatur punitio, aut vindicta peccati, de qua re sufficiens reddit testimonium translatio Septuaginta Interpretum, quam beatus Hieronymus hoc loco probat, quæ sic ait: *Non vindicabit Deus bis in idipsum*. Ex qua translatione aperte constat eam in Hieronymi translatione dictam esse tribulationem, quam Septuaginta dixerunt peccati vindictam. Et hæc certe non erit duplex: quia si

Cccc

pri-

primo digna & sufficiens fuerit capta de peccato vindicta: nunquam alia postea de illo sumetur, ne Deus bis vindicare videatur. Omnia quae hoc loco Hieronymus docet, quoniam periculosa est illius sententia, nisi illum nimium benigne interpretaris. Si hoc modo intelligenda est duplex tribulatio, nescio quo pacto ostenderetur confurgere duplicem tribulationem, per hoc quod lex poenalis obliget simul ad culpam & ad poenam. Nam obligatio ad culpam non est tribulatio, hoc est, peccati punicio, sive vindicta. Quia etiam si nulla in homine praecessisset culpa, potest illi dari lex obligans ad culpam. Deinde, illa Prophetae sententia non est generaliter & absolute ad omnes referenda, sed juxta verum litterae sensum duabus tribubus, quae ex captivitate Judaica sunt ereptae, dicitur, ut non timeant se etiam in captivitate redigi, sicut aliae decem tribus: quia Deus non vult eis talem vindictam de populo Judaico sumere. Et hoc est quod dicit non confurgere duplicem tribulationem. Si vero illa Prophetae verba, non ad solas duas tribus, sed ad omnes in universum homines dicta esse quis velit, oportet ut illa non de omni peccati punitione & vindicta intelligat, sed de sola illa quae est culpae aequalis, & per quam digna, & pro sua mensura culpa puniatur. Nam de aliis punitionibus quae culpae mensuram non impleant, non est dubium quin duas & tres, & multo plures saepe Deus inferat pro unica culpa. Hieremias siquidem de populo Judaeorum in idolatriam converso, loquens ad Deum, ait: *Induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione conterte eos.* Duplicem contritionem dixit pro duplici punitione quam illi impetratur. Et Propheta Regius in Psalmo centesimo octavo, de Juda proditore prophetaus, multas, variasque illi pro peccato proditoris praedicit poenas. Ex his omnibus aperte constat illa Nahum Prophetae verba, quibus ait: *Non confurget duplex tribulatio, nihil profus agere ad probandum legem poenalem non posse obligare ad culpam.* Cum igitur constet nulla lege divina positiva prohibuit esse legem humanam poenalem posse obligare ad culpam, hoc solum jam mihi superest probandum, non esse contrarium legi naturali, legem poenalem obligare simul ad culpam & ad poenam. Hoc autem vel ex eo apertissime probatur quod multa fuerunt olim, & sunt nunc leges divinae simul ad culpam, & ad poenam obligantes, quas Deus nunquam dedisset, si legi naturali contrariarentur. Absurdum enim esset dicere, Deum legem aliquam condidisse, quae legi naturali repugnet. De qua re apertissimum reddit testimonium beatus Cyprianus, qui in sermone de baptismo Christi Deum alloquens, ait: *Lex tua docet vitare peccatum, & corripit transgressores, & ut lotis, mundisque pedibus in via immaculata incedant, omnia praemonstrat offendicula, & insinuat diverticula, quibus periculosi transitus evitentur, nihil impossibile, nihil jubet austerum.* In quibusdam, per legem tuam promissa praemia nos invitant, in multis poenae propositae, & supplicia, vel damna terrores, animos a scelere retrahunt appetitu. Neque lex tua scripta a lege naturali in aliquo dissonat. Haec Cyprianus. Et beatus Augustinus, super illum versum: *Praeparantes reputavi omnes peccatores terrae,* ex Psalmo 118, ait: *Legem divinam institutam esse legem naturalem, sive auctam, sive firmatam; tantum abest, ut putet legem divinam repugnare unquam legi naturali.* Et libro 22. contra Faustum Manichaeum, cap. 27. multo apertius hoc docet, sic inquit: *Lex aeterna est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens,*

per turbati, vetans. Haec Augustinus. Neque soli sancti viri, aut viri christiani, sed etiam Gentiles, qui non tam plene de Deo habuerunt notitiam, intellexerunt Deum in suis operationibus nunquam a lege naturali discedere. Nam Aristoteles in libro de Mundo ait: *Deus (ut veteres sermone tradidit) cum omnium rerum principium, & finem, mediumque aeternae, recte, semper secundum naturam incedit, quem iustitia semper affectatur, ulciscens legis divinae violatores.* Haec ille. In quibus verbis id potissimum annotandum est quod ait, Deum recte semper secundum naturam incedere: quod ideo dictum esse constat, ut ostenderet Deum nihil contra legem naturalem agere. Est itaque evidens, & omnibus manifestum, Deum nullam unquam legem condidisse quae legi naturali repugnet. Si igitur ostendero, multas esse, aut fuisse divinas leges simul ad culpam, & ad poenam obligantes, inde manifeste probatum erit, non esse contra legem naturalem, si lex aliqua statuat quae simul obliget ad culpam & ad poenam. Prima quam Deus homini dedit lex, habetur in libro Genesis, cap. 2. per haec verba, quibus Deus primo homini loquens, ait: *Ex omni ligno paradysi comede: de ligno autem scientiae boni & mali ne comedas. In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Ecce legem poenalem, de qua nullus fidelis negare poterit eam obligasse simul ad culpam & ad poenam. Nam quod lex fuerit poenalis, ex poena mortis, quam illa minatur, & quam Deus homini (ut Paulus docet Rom. 5.) propter illius legis transgressionem infligit, apertissime constat. Quod autem lex illa obligaverit ad culpam, adeo est omnibus, praesertim Christianis, manifestum, ut nullus sit homo, qui in se non portet culpam, quae ex transgressione illius legis contracta est, testimonium. Quia non in solo Adam culpa illa, aut poena permanit, sed per Adam in omnes homines (ut Paulus ait ibidem) sicut peccatum, ita & mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Dicens itaque Deus: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris,* simul denuntiavit culpam quam legem transgrediendo comitteret, & poenam quam pro legis transgressione sustineret: utrumque enim horum culpam videlicet & poenam nomine mortis significavit. Deius rei testimonium profero beatum Eucherium, qui in libro primo super Genesim, cap. 17. praedicta verba interpretans, ait: *Hanc quam Deus homini minatus est mortem, non eam tantum debemus accipere: quia caro separatur ab anima, sed hanc quae haec alienatur a Deo, qui est vita sua. Sicut enim corpus vivit ex anima, ita anima ut beate vivat, vivit ex Deo. Ergo deserta a Deo anima jure dicitur mortua, ex qua tres postea sententiae sunt mortis, prima in anima, secunda in carne, tertia in damnatione. Sed ut istae sequerentur, prima praecessit desertio Dei. Haec tenet Eucherius. Post hanc legem, quam solum Deus homini in statu integritatis naturae dedit, alias multas pro statu naturae lapsae, & diminutae condidit leges, in quibus multae sunt quae simul obligant ad culpam & ad poenam. Nam omnes illae leges quae prohibebant matrimonia contrahi inter illos qui erant aliquo consanguinitatis, aut affinitatis gradu conjuncti, obligabant ad culpam & poenam eos qui contra tales leges matrimonia contraxissent. Obligationem ad culpam apertissime Deus expressit, quum post daret omnes illas leges, statim subiecit: *(Levit. 18.) Omnis anima quae fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi sui.* Obligationem ad culpam & poenam simul ostendit, quum postea illas easdem leges re-*

petens, in multis illarum poenam mortis statuit contra eos qui leges illas transgredirentur. *Qui dormierit cum uxore sua (imquit lex, Levit. 20.) & revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo, sanguis eorum sit super eos. Si quis dormierit cum nuru sua, uterque morietur, quia scelus operati sunt, sanguis eorum sit super eos. Qui super uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est, vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nephas in medio vestri.* Et aliae multae similes leges illic continentur, quae poenam mortis transgressionibus minantur. Haec autem mortis comminatio (ut Doctor Subtilis Scotus recte annotavit in 4. Sent. d. 1. q. 6.) nunquam in lege Moysaica ponitur nisi propter transgressionem: quae esset culpa mortalis. Praeterea in Lege Evangelica, quae multo mitior & suavior est quam lex Moysaica, aliquas quamvis paucissimas leges poenales instituit Christus, per quas aliquibus criminibus certas poenas infligit: nec tamen per aliam poenarum inflictionem eos a culpa obligatione absolvit, immo potius ad ostendendam culpae gravitatem, & ad averendum homines, ab illius culpae perpetracione talem minatus est poenam. Nam homicidas statuit juste illos posse in poenam criminis a iudice ad mortem damnari, sic inquit: *(Matt. 16.) Omnis qui occiderit gladio, gladio peribit.* Per haec enim verba (ut omnes Theologi concorditer docent) Christus dedit iudicibus potestatem occidendi homicidas. *(Matt. 19.) Adulteros etiam (ut longe latius libro secundo, Deo duce, ostendimus) punivit, privando eos jure exigendi debitum ab uxore suis, quando hanc solum dixit esse causam propter quam marito licet dimittere uxorem suam. Nullum credo tam dementem esse, ut dicat homicidam liberum esse a culpa, propterea quod hominem occidens se exposuit periculo poenae quam illi lex divina minatur. Et idem profus dicendum est de adultero: quum adulterium committens amittit jus exigendi debitum ab uxore. Ex quibus omnibus constat aliquas esse a Deo conditas leges obligantes ad culpam, non obstant quod per easdem, aut per alias leges sint ab eo decretae poenae contra transgressores illarum legum. Et quia divinae leges (ut jam probavimus) nunquam a lege naturali discedunt, inde aperte convincitur non esse contra legem naturalem, potestatem humanam statuere legem quae simul obliget ad culpam & ad poenam. Et quia supra probavimus hoc nulla lege divina positiva, aut humana esse prohibitum, inde evidentissime probatur potestatem humanam habere jus condendi legem quae obliget ad culpam, non obstante poena per eandem legem impositam.*

Tertio principaliter ad probandum eandem conclusionem argumentor ex multitudine exemplorum, quae apertissimum testimonium reddunt, jam saepe ab humana potestate factum esse id, quod nos ab humana potestate fieri posse contendimus. Plurimum (ut notum est) sunt leges Canonicae, quae aliquid extra jus divinum praecipiant, aut prohibent sub poena excommunicationis ipsi facto incurrendae. Omnes hujusmodi leges ab humana potestate conditae sunt per auctoritatem illi a Deo collatam, & tamen omnes illae obligant illarum transgressores simul ad culpam & ad poenam. De obligatione ad poenam, vel ex eo constat, quod cum illis lata exprimat sententia, quotquot tales leges transgrediuntur, incurunt sententiam excommunicationis. Obligatio vero ad culpam apertissime convincitur ex ipsa sententia excommunicationis, quae per talem legem contra transgressores profertur. Quia excommunicationis non nisi pro peccato mor-

tali, eoque gravi, & cui est annexa contumacia potest inferri, ut dicitur in capitulo Nemo, & capit. Certum 11. quest. 2. Et ob hanc causam nos supra diximus excommunicationem quae per legem aliquam imposita est, efficacissimum esse argumentum ad probandum legem illam obligare ad culpam mortalem. Sunt adhuc aliae leges poenales quae praeter excommunicationem alias poenas transgressionibus earum imponunt, & illas obligare ad culpam, est adeo manifestum, ut nullus merito dubitare valeat. Nam in capitulo, Perpetuae, de Electione, libro sexto, declarat Papa eum qui scienter elegerit indignum simul committere culpam, & incurere in poenam. Super quem textum Dominicus de Sancto Geminiano notabit, tertio, haec ait: *Nora hic optimum textum, qui facit in argumentum, quod veniens contra legis praecipitum peccat mortaliter, etiam si in lege praecipitum sit alia poena imposita. Probat textus: quia dicit hic, quod quoad Deum puniatur iste, & etiam ab Apostolica Sede, ex quo tunc fecit a jure prohibita, licet non peccasset: tamen quoad Deum fecit. Haec Dominicus, qui eandem sententiam iterum docet, & colligit ex capitulo, Commisera, §. Illud, eodem titulo. Sed forte aliquis dicit in illis capitulis citatis assignari poenas contra transgressores praecipitum divinarum, & ideo non bene probari ex illis humanam potestatem lege ab ea statuta obligare aliquem simul ad culpam & ad poenam. Ideo alia exempla ego profero multo manifestiora, quibus aperte probatur aliquam legem humanam simul obligare ad culpam & poenam. Est enim quadam lex circa librorum Impressores condita in sessione nona Concilii Lateranensis, sub Julio secundo, & Leone decimo celebrati, qua eisdem Impressoribus praecipitur, ut nullis eorum librorum aliquem imprimere, seu imprimi facere praesumat, nisi prius in Urbe Romana per Vicarium Papae, & sacri Palatii Magistrum, in aliis vero Civitatibus & Diocesisibus per Episcopum, vel alium habentem peritiam scientiae libri, seu scripturae hujusmodi imprimendae ab eodem Episcopo ad id deputandum, ac Inquisitorem haereticae pravitatis Civitatis, sive Diocesis, in qua libri illius impressio fieret, diligenter examinatur, & per eorum manu propria subscriptionem, quam sub excommunicationis sententia gratis & sine dilatione dabant, approbatur. Qui autem Impressor contra hanc datam legem aliquid ausus fuerit imprimere, ultra excommunicationis sententiam quam ipso facto lex illi inferat, puniatur etiam per eandem legem amissione omnium librorum impressorum, & publica illorum combustionem, ac centum ducatorum fabricae Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, sine spe remissionis solutionis, ac per continuum annum ab exercicio impressiois suspensionem. Quae lex iterum in tertia sessione Concilii Tridentini, sub Paulo tertio celebrati, me ibidem praesente, confirmata est. Ecce vides quam multas poenas haec Canonica lex contra illius transgressores statuit, nec tamen omnes illae obstant, quin lex illa eisdem transgressores simul obligaverit ad culpam mortalem. Hoc autem vel ex eo facile convincitur, quod ultra omnes illas poenas contra illius legis transgressores sententiam protulit excommunicationis, quae (ut jam diximus) non nisi pro peccato mortali inferri potest. In eodem Concilio Lateranensi, sessione nona condita est alia lex contra eos Clericos beneficia habentes, qui Divinum Officium, prout tenentur, Deo persolvere omitunt: quae etiam poenalis sit, ad culpam tamen obligat, ut ex verbis illius aperte constare potest, quae talia sunt: *Statuimus quoque & ordina-**